



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia XIII. Spongia Magdalенаe lacrymis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Quemque rigat fletus, siccatur cincinnus I E S V M,
 Cincinnus bibulo par modo forma peplo:
 Qui quoties auidis siccatur vestigia cirris;
 Et toties optas, altera lympha fluat:
 Et tot eant rursus grauido de lumine guttae,
 Quot stant fronte comae, queis premis vda pedes.
 Nonne Deum madido dum tergis amica capillo,
 Teque tuumque; lauas squallida nympha caput?
 Quaeque sacro thalamo teter nisi squalor & Orci
 Fax immunda venis, nix modo munda redis?
 Nempe Deum tangis, te tangit & ille: niuosos
 Queis lauis atra pedes, alba lauaris aquis.
 Sic ubi tu vitrea roras aspergine plantas,
 Spongia fit C H R I S T I pes; tua corda lauat.

ELEGIA XIII.

Spongia MAGDALENAE lacrymis.

Hic ubi virgato discurrit discolor auro
 Purpura, & inuitat in sua strata D E V M;
 Gratuler, inuideamne? pari mens haeret in aestu:
 Cura biceps bifidis errat ut vnda fretis.
 Inuideam? & quare? dos dicitur aqua magistro.
 Gemmantem ille bibit aureus hospes aquam.
 Gemma manu rorat; it gemma per alta comarum,
 Et per adhuc teneros oscula ad vda pedes.
 Gratulor, o felix! niueis sic pingere baccis
 Cui datur, & casto tingere rore Deum.
 Utque diu tingas, voueo; sed prouida census,
 Parcius o oculis utere Nympha tuis:
 Neu nimium has lymphas tam rarum prodige
 munus.

C 5

Parce,

Parce, sat est; riguis iniice frena genis:
 Et temerè errantes auidâ lege sindone gutras.
 Claude tuos riuos: planta sat ista bibit.
 Dein lacrymas expunge tuas, bibuloque ma-
 dentes
 Terge pedes velo, prouida terge genas.
 Sit modus his thermis; tandem, ô tandem ebibe
 lymphas.
 Nolo cadat tristi planta sepulta mari.
 O quantû erroris! rursum it pudor alter in imbres:
 Quâ pudor it, rursum diluis ægra pedes:
 Nec tamen exsiccas, aqua an ebria rursus oberrat?
 Nolo laues lautos, sed citò terge pedes.
 Nulla tibi sindon, nec sindonis vlla niuali
 Candicat vmbra manu; sed coma sola bibit.
 Deinde pluis, pariterq; rapis quos fuderis imbres:
 Quæ fluit ore, bibit crinis auarus aquam.
 Quid facis? ah nescis? lino sitiente natantes
 Vis siccare pedes, quos tamen vsque rigas.
 Euomit illuuiem, non balnea iusta ministrat,
 Absque modo assiduas quisquis inundat aquas:
 Sed quicumque lauat puro vestigia riuo,
 Si sapit, albenti tergit & illa peplo.
 Vtere sorte tuâ: deterge tot humida luctus
 Urbano genio, carbaseoque sinu.
 Sed pia nympa sapis! natiuam in sindona cirros,
 Cerne, tibi solers textor adornat Amor.
 Quas passim effusis siccas affusa capillis,
 Apta coma his lymphis, aptaq; lympa comis.
 Dignius his lacrymis nihil est flauente capillo,
 Spongia nec cirris dignior vlla tuis.